

NVMMI MEMORIÆ DICATI:
CVSI A CONF OEDERATORVM
Belgij Statuum Proceribus. Anno
Christi 1580.



SVB anni 1580. initium **Conventus Ordinum Del-**
phi Hollandiæ agebantur; in quibus Aurantius De-
legatis Provinciarum scriptum exhibuit, quo eos
monebat, ut populis, à quibus erant missi, declara-
rent, diligentius & attentius rebus bellicis incum-
bendum: potentes & bellicosos hostes esse, vigilan-
tes, industrios, omniq[ue] occasione intentos, atque
Belgis libertatis amantibus insensissimos. Consen-
tientibus animis communibusq[ue] suffragiis ordi-
num decretum, pacis conditiones, ab hostibus propositas, ut iniquas ne-
quaquam recipiendas, & belli consilia necessariò resumenda, quod aliter
communem libertatem, facultates singulorum, honores, liberos & uxores
tueri non liceat. Supremum etiam consilium ex viris singularis peritiæ &
notæ probitatis constituendum, exercitumq[ue] conflandum ex veteranis
militibus, & bello induratis, qui hostibus formidabiles esse possint, & pa-
triam à periculo tutam & securam præstare. De his Ordinum Delegatos ad-
monere se voluisse, quod id officij sui esse putaret, qui populi necessitati-
bus providere cuperet, & quod fideliter in tempore admonenti, ventura-
rum ob socordiam & negligentiam cladium, culpa imputari non possit.